



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 27. Disputatio ejusdem cum Luthero circa Primatum Pontificis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

§. XXVII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1519.*Disceptatio Eckii cum Luthero circa
Primum Pontificis.*

Ad hæc non immerito reposuit Eckius, errasti ergo Luthere, dum prior hanc quæstionem resuscitasti, atque in Thesibus tuis Sedis Apostolicæ primatum ad Sylvestri Papæ tempora revocasti, necnon in nupera tua cum Cardinale Cajetano disputatione viva voce asseruisti, quod Pelagius Papa sacri Codicis textus gehennæ poenis excruciasset, ut illos ad Monarchicæ auctoritatis sensum detorqueret. Id utrumque fatebatur Lutherus, hæc tamen subjunxit: cum adversus Indulgentias declamabam, Tetzelius mihi exprobrabat, quod Sedis Apostolicæ auctoritatem evertere fuerim molitus, hac quidem criminatione ad publicandam meam thesin adactus fui, præcipue cum contra perversum sensum, quem Cajetanus circa Pelagii fidem sacris paginis affingebat, haud alia via me defendere potuerim, quam ut sacri Codicis textum a Papa fuisse adulteratum affirmarem. Acrius autem instabat Eckius, Lutherum vehementer urgens, ut disertis verbis, quid de Pontificis auctoritate sentiret, exponeret. Respondit Lutherus,

therus,

Sæcul. XVI.
A.C. 1519. therus, profiteri se militantis Ecclesiæ Monarchiam, atque illius quoddam existere caput, illud vero non esse hominem, sed ipsum Christum Dominum, quod ipsum ex D. Apostolo Paulo cap. 4. ad Ephesios, atque epistola prima ad Corinthios cap. 3. comprobare conatus est. Cum autem Eckius Luthero S. Cypriani ac D. Hieronymi auctoritatem objiceret, reposuit ille, quod fortius testimonium infirmiori prævaleat, nec sanctus Hieronymus D. Paulo præferendus sit, idem quoque respondit ad S. Bernardi textum, qui ad comprobendam Episcoporum subordinationem proferebatur (*).

In tertio colloquio quinta Julii habito Eckius hæc allegabat verba Christi Domini ad S. Petrum dicentis: *Tu es Petrus,*

(*) Quomodo hæc conciliari valent cum dictis Ulemburgii, qui asserit cep. 4. *Lutherus Ecclesiæ Romanæ primatum asserere non divino, sed humano jure tacita populorum consensione inductum: Eckius vero eundem Primatum ad JUS DIVINUM, & IPSIUS CHRISTI ORDINATIONEM* referebat. Adde- re debuisset Continuator ex Cochlæo, quod Lutherus ira victus, proruperit in apertam confessionem secreti sui pessimi, ac dixisse: *Non propter Deum hæc res cæpta est, neque propter Deum finietur.*

trus, & super hanc Petram ædificabo Ec-
 clesiam meam. Matth. cap. 16. v. 18. At-
 que his verbis sancti Petri Primatum sta-
 biliri docebat, adducta etiam sanctorum
 Patrum interpretatione, qui eadem ver-
 ba de Petri persona intelligenda tradi-
 derunt. Respondit Lutherus, nomine
 Petræ intelligendam esse vel potestatem,
 vel fidem. In primo illius sensu, inquit
 Lutherus, frustra Christus Dominus po-
 stea v. 19. addidisset: *Tibi dabo claves*
Regni cælorum. Et aliunde cum Filius
 Dei generatim dixerit: „ Quod super
 „ hanc Petram Ecclesiam suam sit ædi-
 „ ficaturus, non vero solam Ecclesiam
 „ Romanam, omnibus Ecclesiis eadem
 „ communis erit potestas: si vero, sub-
 „ junxit idem, intelligatur de fide, ut
 „ omnino intelligi debet, æque etiam
 „ omnibus Ecclesiis communis est. „
 Hæc disputatio totum illius diei tempus
 pomeridianum tenuit, atque altera die
 sexta Julii horis tam matutinis, quam
 vespertinis de eodem rursus argumento
 disceptatum, eademque quæstio de Pon-
 tificis primatu die septima ejusdem men-
 sis denuo in contentionem revocata fuit.
 Luthero pertinaciter affirmante, quod
 Pontificis Primatus solum ex humano ju-
 re, non item divino descendat, ac Pa-
 pa a ceteris Episcopis duntaxat ex insti-
 tutione mere humana distinguatur; *Et si*
Hist. Eccles. Tom. XXXIII. G g Au-

sæcul. XVI.
 A C. 1519.

Sæcul. XVI. *Augustinus etiam*, asseruit Lutherus, omnesque Patres per Petram in textu allegato intellexerint Petrum, ego iis solus obfirmam cum auctoritate Apostoli D. Pauli, & etiam S. Petri, qui dicunt, quod solus Christus Dominus sit fundamentum, atque angularis Ecclesiæ lapis.

*Cochlæus de
art. & script.
Lutheri an.
1519. p. 16.*

Verum Eckius hanc opinionem inter Wiclefi & Joannis Hussi errores a Concilio generali Constantiensi fuisse damnatam Lutheri opposuit, hujusque Synodi verba in medium protulit, immerito a Lutero impetrari posse confisus, quod, qui adeo petulanter sanctos Patres spernebat, saltem majorem reverentiam Oecumenicis Conciliis, utpote universalem Ecclesiam repræsentantibus delaturus esset; enimvero Lutherus ad tam venerandam auctoritatem haud magis submissum ostendens animum, hæc reposuit: *Non omnia Joannis Hussi effata indiscriminim hæresis fuerunt damnata*, illa vero opinio, quam Hussus enunciat, sive demum ipsius, sive alterius Auctoris esset, nullatenus hæretica est censenda; constat enim, in potissimis Provinciis Romano imperio subjectis dari Ecclesias, quæ viginti omnino annis ante Romanæ Ecclesiæ erectionem conditæ fuerunt; ceterum ego nunquam probavi Bohemorum schisma, eorum tamen „ con-

„ condemnationi nondum evolutis cen- Sæcul. XVI.
 „ tum annis factæ possum opponere tra- A.C. 1519.
 „ ditionem, usumque Ecclesiæ Græcæ,
 „ quæ per mille quadringentos annos
 „ summam in Pontifice eminentiam non
 „ credidit (*); nihilominus ob reveren-
 „ tiam erga Constantiense Concilium cre-
 „ do, quod articulus allegatus aliique
 „ similes ab hoc Concilio forte non fue-
 „ rint damnati, sed potius illius actis a
 „ quodam impostore intrusi, his addidit:
 „ Summus Pontifex, & Concilia non-
 „ nisi homines sunt, probandi ergo sunt,
 „ non vero ab illa S. Pauli Apostoli regu-
 „ la eximendi: „ *Omnia probate, quod*
 „ *bonum est tenete. Thessalon. 1. c. 5. v. 21.*
 Tam injuriosa Lutheri convitia Princeps
 Georgius ultra ferendo impar, Ecclesiam
 ac Concilia tam indigno modo haberi,
 verbisque adeo contumeliosis Patrum
 Sanctitatem offendi prohibuit. Verum
 Lutherum, quem a conviciandi libertate
 nec Patrum nec Conciliorum reveren-
 tia cohibuit, minus Principis mandato
 obtemperandi sollicitudo anxium reddi-
 dit; quinimo in colloquio septima Julii ha-
 bito

G g 2

bito

(*) Hoc exemplo Lutherus proprii oris te-
 stimonio docuit, quod sicut ea ex ratione Græ-
 corum Ecclesia est schismatica, ita etiam sua
 quoque reformatio nil nisi schismaticorum factio
 fuerit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1519.
bito in hæc verba palam prorupit, nihil habeo Constantiense Concilium, pace mea Eckius probet, quantum velit, Concilia errare non posse, non errasse, nec errare, teneo tamen, quod hæresis damnari non possint ea, quæ juri divino adversantur; Concilium enim de se non est juris divini, unde nec jus divinum inducere valet.

§. XXVIII.

Eckii colloquium cum Luthero de Purgatorio.

Cochlæus l. 6.
anno 1519.
In septimo colloquio Eckius quæstionem de Purgatorio movens, ex SS. Hieronymi & Augustini testimoniis demonstrabat, post mortem nullum merendi locum esse. Ad hæc Lutherus dixit: *Credo firmiter, imo ausim dicere, scio, purgatorium esse, unde facile persuadeor, in scripturis de eo fieri mentionem.* Fatetur etiam, hanc veritatem in libris Dialogorum, qui S. Gregorio adscribuntur, ex S. Matthæi verbis comprobata esse, dari nimirum peccata, quæ nec in hoc, nec in futuro sæculo remittuntur; unde inferendum, quædam esse peccata, quæ post mortem remittuntur, id vero non alibi quam in Purgatorio fieri posse. His subjunxit, se cuncta in libris Machabæorum contenta velut canonica venerari; mox vero *contradictionis spiritu*, qui omnes passim